

talenta et tres grossos, quem decani dictae ecclesiae praedecessores sui dictam villam Grobir habentes perceperunt et percipere consueverunt, iam acquisivit vel adquisierit in futurum, possit illud quantum fuerit ad tempora vitae suae, etiam si eundem Theodericum decanum statum suum in ecclesia iam dicta Misnensi vel extra mutare contingerit, percipere et postea deputare pro suo vel alterius anniversario celebrando, aut pro festiuitatibus specialibus peragendis, aut aliter de illo disponere pro suae libitu voluntatis, dummodo ad pias causas et in usus capituli convertantur. Ordinamus etiam, ut decanus Misnensis pro tempore eo libentius colligat censum acquisitum et acquirendum, quod idem decanus in eodem censu decimum denarium habere debeat applicandum suis usibus pro labore. In quorum omnium testimonium praesentes litteras scribi fecimus et sigilli nostri capituli maioris appensione muniri. Datum Misnae anno domini millesimo CCC°.LVI°. Et nos Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis praedictae consensui et ordinationi praedictis nostrum etiam adhibemus consensum omnia et singula suprascripta rata et grata habentes, auctoritateque nostra ordinaria confirmamus et in evidens testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.